

posset adhuc orando resuscitare illum, ut dixerat Martha; sed credens, quod pro potestate id posset, nil tamen petit, Christo rem relinquens; qui modus habet vim impetrandi. Unde Ecclesia, precibus Magdalene, in Collecta, tribuit fratris suscitationem. In Martha et Maria designantur actio, et oratio sive contemplatio. Utraque concurrere debet ad convertendos peccatores.

PUNCTUM V.

Christus
flet cum
fletibus.
Joan. 11.
33, 35, 38 Jesus turbatur spiritu et lacrymatur. 1. quidem: *Ut vidit Mariam plorantem, et Judeos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, conturbavit seipsum... et lacrymatus est Jesus.* Deinde: *Rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Prius quidem, ex officio caritatis, ut fleret cum fletibus; et propter pharisæos tunc flentes, sed ex miraculo capturos occasionem Christum ipsum interficiendi; posterius autem, ex commiseratione defuncti, et peccati recordatione, per quod mors introivit; pro qua abolenda, foret etiam ipse subiturus similem conditionem, ut involutus conderetur sepulcro.

Judicia
mundi
vana. Lacrymas Christi acceperunt alii pro signo amoris singulari in Lazarum; alii autem calumniabantur, cur non prohibuerit mori; siquidem potuerat Cæcum à nativitate curare. Jubet Christus tolli lapidem, ut cadaver fieret conspicuum. Noluit verbo ipse amoliri, quia non utitur miraculo in iis quæ per alios fieri valent. Obstitit Martha, quod sceteret

jam, *quadriduanus.* Sic amici obijciunt impedimenta, quando expedire quis se vult à malo statu. *Elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi.* Docemur è Cælo petendum peccatori remedium. *Gratias agit,* tanquam pro accepto; quia certum erat.

PUNCTUM VI.

Suscitat, voce magna clamans: *Lazare, veni forma* Joan. 11.
43. Extulit vocem, quasi ad longè positum, et erat anima in Limbo. Item dedit specimen horribilis illius 1. Cor. 15.
52. tubæ: *Surgite, mortui, venite ad iudicium.* Obedivit imperio, et adhuc vincetus prodiit, non modò vivus, sed perfectè sanus, qui fœtebat prius. Jubet solvi à discipulis, ut ipsi propius cernant miraculum. Est Lazarus
forma
peccato-
ris. forma peccatoris, qui, subrahente se gratiâ, moritur; ac sepelitur, obrutus terrenis cupiditatibus, et clauditur lapide obdurationis; et fœtet à scandalis præbitis. Pro hoc orant justî, et Christus, efficacia suæ inspirationis et motionis, ad vitam revocat: ut de nullius salute sit desperandum. Prodit Joan. 11.
44. *ligatus* instis; vitæ prioris habitibus, quos deponit directione Patris spiritualis. Vel, excitatum per divinam inspirationem, solvit à peccatis sacerdos. Nam etiam, qui per contritionem revixerunt, debent absolvi in sacramento Pœnitentiæ.

MEDITATIO XLII.

De concilio contra Christum occasione
suscitati Lazari. Joan. 11.

PUNCTUM I.

Invidia
œca. QUEMADMODUM odio et invidiâ perciti Judæi,
ex bono Christi opere parant sibi venenum ad inte-
ritum. Nam qui interfuerant suscitationi Lazari, ad
pharisæos referunt. Unde coacto concilio, ponti-
Joan. 11.
47 fices et pharisæi dicunt: *Quid facimus? quia hic
homo multa signa facit?* Et tam sunt cæci, ut id,
unde omnes credituros in Jesum ominantur tanquàm
in Messiam, ipsi nolint intelligere. Atque ita fit justo
†. 48. Dei judicio, ut malum temporale quod metuunt,
prædicant: *Veniunt Romani, et tollent nostrum lo-
cum, et gentem.*

PUNCTUM II.

†. 49.
Superbia
alios ar-
guit. Sententia Caiphæ pontificis: *Vos nescitis quid-
quam; nec cogitatis.* Ab arrogantia orditur, quasi
solus sapiat; et tam insipiens fuit, ut, quod ad
avertendam cladem à populo necessarium esse dixit,
causa extiterit excidii. Sed quod ille proprio spiritu
malè cogitaverat, Spiritus sanctus vertit in prophe-
tiam; ut per illa ipsa verba prædiceret necessitatem
Christi passionis ad totius generis humani salutem:

De concilio contra Christum. 389

Quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo,
et non tota gens pereat. Joan. 11.
50.

PUNCTUM III.

Conspiratio in Christi necem. *Ab illo ergo die co-
gitaverunt ut interficerent eum.* Nec latuit Christum om-
nia scientem; et tulit, ut apud Jeremiam ipse lo-
quitur: *Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cog-
novi.* Tunc ostendisti mihi studia eorum. *Et ego quasi
agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; et non
cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes:
Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de
terrâ viventium.* Quomodo cognovit et non cognovit?
Quia scivit; sed non ut vitaret, aut ulcisceretur.
Ergo abiit in regionem juxta desertum, in civitate,
Joan. 11.
54. quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis
suis; qui permanebant cum eo in tentationibus ip-
sius. Ibi comparavit se ad appropinquantem jam ho-
ram suam.

Quæ his sunt consequentia, habentur in quartâ Parte.

DE PARABOLIS CHRISTI.

MEDITATIO XLIII.

De sapiente et Stulto. Matt. 7. Luc. 6.

HÆC parabola dicta est à Domino post sermonem in Monte , propter variam dispositionem audientium.

PUNCTUM I.

Sapientem Christus nominat eum , qui audita non tantum credit , sed facit ; stultum verò , qui , cum credat , contrarium facit. Nam quæ major est stultitia , quàm , cum credas æternos ignes deberi peccanti , et Deum ubique præsentem omnia conspiciari , nihilominus ita agere , ac si Deus non videret , vel infernus non esset ? Et talium stultorum infinitus est numerus in Ecclesiâ Dei. Quare hæc comparatur etiam stultis virginibus ; non solum , prudentibus. Porrò flumina , venti , et pluvia , quæ quantiunt domos , tam sapientum , quàm stultorum , significant tria genera tentationum. *Flumina* è terrâ sunt ; nempe caro nostra , et homines terreni , à quibus exercemur. *Venti* significant aereas potestates. Denique *pluvia* è Cælo veniens , illas tentationes , quæ ex speciali providentiâ Dei veniunt , etiam per

Stultus
aliter agit
quàm cre-
dat.

Flumi-
na , venti,
pluvia sig-
nificant tres
tentatio-
nes.

homines alioqui zelosos , sed non secundum scientiam.

Rursùm , *flumina* sunt tentationes sensualitatis et avaritiæ , quæ dicitur *concupiscentia carnis* : *Venti* , curiositatis et vanitatis , quæ est *concupiscentia oculorum* : *Pluvia* , superbiæ et ambitionis ; aliàs *superbia vitæ*. Præterea *flumina* , domus fundamenta subruunt ; et sunt tentationes *incipientium*. *Venti* latera quantiunt , surgentesque parietes ; qui sunt *proficientes*. *Pluvia* in tecta decedit ; in eos , qui culmen *perfectionis* tenent. Nullus quippe gradus à tentatione immunis.

PUNCTUM II.

Ædificare supra arenam , est contentum esse quòd credas , absque stabili proposito vivendi juxta fidem. *Arena* est cor variis affectionibus terrenis dissipatum ac dissolutum. Denique vires propriæ , et inconsistentia nostræ voluntatis , ac proprii judicii regula , sunt arena , nihil habens soliditatis ad sustinendum ædificium spirituale. Statua Nabuchodonosor , tametsi alioqui magnifica , quòd digitos haberet fustiles , percussa parvo lapide , corrui. Ita omnia talenta , et gratiæ ipsæ gratis datæ , et quicquid est speciosum , si carent soliditate fundamenti.

Arena
quid est ?

Dan. 2. 34.

PUNCTUM III.

In petrâ ædificat , qui in fide vivâ , quæ per dilectionem operatur ; sicut optat Paulus : *Christum habere* Petra est caritas. Eph. 2. 17.

Mortificatio. *bilare per fidem in cordibus vestris ; et ut sitis in caritate radicati et fundati. Petra est etiam intima sui cognitio , perveniens usque ad centrum proprii nihili ; in quo tanquam terrâ , stabilis , immotaque , perseverat. Petra est etiam Christi gratia , cui fidendum , non sibimet. Omnia possum in eo qui me confortat : Ut dicere possim : Quis me separabit à caritate Dei ? Et : Portæ inferi non prævalebunt adversus me.*

Gratia.
Phil. 4. 3.
Rom. 8. 35.
Matt. 16.
18.

MEDITATIO XLIV.

De Semine. Luc. 8. Matth. 13. Marc. 4.

PUNCTUM I.

Luc. 8. 11. SEMEN est Verbum Dei , ut ipse Dominus exposuit ; idque , tum externum instructionis , tum internum inspirationis divinæ : et hoc maximè , quod est quasi vis seminalis in grano ; quia sine interno , frustrâ jacitur externum. Qui seminat , est præcipuè Deus , auctor bonæ inspirationis. Externum autem verbum , etiam hominis : et pii libri illud tanquam semen jaciunt. Terra est anima , secundum suas potentias. In memoriâ excipit pias cogitationes , sanctarumque rerum imagines : in intellectu , illustrationes cœlestes ad divinam penetranda ; nec non consilia bona agendorum , et dictamina conscientiæ , vel arguentis quæ agit , vel probantis : in voluntate motiones varias ad bonum. Finis est , ut terra ipsa per-

Finis.
fructus
operum

ficiatur. Gratias agam , petam ut terram animæ meæ subigere , seminareque copiosè velit.

PUNCTUM II.

Quòd non omnis terra fructificat. 1. Non illa , <sup>Via , cor-
darum.</sup> quæ est *secus viam* ; quo fit , ut partim semen conculcetur à prætereuntibus , partim à volucris comedatur : *Hi sunt qui audiunt , deinde venit diabolus ; et tollit verbum de corde eorum , ne credentes salvi fiant.* Nempè homines cor habentes pervium quibusvis cogitationibus et desideriis ; qui non condunt intra se verbum , et exteriùs in superficie tantùm excipiunt , ut solum non subactum ; quales sunt viæ publicæ. 2. Est terra petrosa , quæ non habet humorem. <sup>Devotio.
Luc. 8. 13.
Incons-
tans.</sup> Hi sunt qui... *cum gaudio suscipiunt verbum... et in tempore tentationis recedunt.* Nempè homines bene propensi , sed instabiles , in quibus semen radices non agit ; sicque orto sole tentationis , arescunt : quos S. Marcus *temporales* vocat ; et sunt quasi nubes matutina , et quasi ros manè pertransiens. Porrò sol lucet et adurit , quod signat duplex tentationis genus ; unum à prosperitate , alterum ab adversitate rerum. Oportet autem se exhibere Dei servum in utrâque fortunâ ; atque ut ait Paulus , *per infamiam et bonam famam* , etc. 3. Est terra spinosa , <sup>2 Cor. 6.
8.</sup> in quâ *simul exortæ spinæ semen suffocant.* Et hi sunt qui... <sup>Spinæ di-
vitiæ , cu-
ræ , vo-
luptates.
Luc. 8. 14.</sup> *sollicitudinibus et divitiis , et voluptatibus vitæ , eunt suffocantur , et non referunt fructum.* Tria ista , quæ blanda hominibus videntur , Christus vocat spi-

nas ; nempe animum pungunt , et cruciant . O Deus ! malim pungi spinis tuæ coronæ ; quæ licet carnem lacerent , spiritum sanant .

Nota , quòd prima terra ne germinare quidem incipit ; secunda non promovet , defectu succi ; tertia succum habet , sed ob vepres non assurgit .

PUNCTUM III.

Math. 13.
8 et 23.
Tres gra-
dus fruc-
tum bo-
norum.

Terræ bonæ et fructiferæ sunt tres similiter gra-
dus . Alia reddidit *tricesimum* , alia *sexagesimum* ,
alia *centesimum* ; juxta tres gradus incipientium ,
proficientium , et perfectorum : vel , ut Patres ex-
ponunt , secundum status conjugii , cælibatûs ,
martyrum .

MEDITATIO XLV.

De Zizaniis. Matth. 13.

Math. 13.
37. 38 et
39.

EXPOSUIT hanc parabolam ipse Dominus : *Qui
seminat bonum semen , est Filius hominis . Ager autem
est mundus , bonum verò semen hi sunt filii regni . Ziza-
nia autem filii sunt nequam . Inimicus autem , qui semi-
navit , est diabolus .*

PUNCTUM I.

Justi, se-
men.

Justi sunt Christi semen , hoc est filii ab eo ge-
niti in gratiâ : et ideò semen dicuntur , quia per eos
alii gignuntur Christo . Filii autem regni dicuntur ,

De Zizaniis.

quia , *si filii , et hæredes regni paterni . Zizania simi-
lia sunt tritico in herbâ : eum autem creverint , ni-
grescunt , et nocent tritico . Quin obsunt edenti : vi-
sum lædunt , et provocant vomitum . Sic mali ho-
mines conveniunt cum bonis in naturâ ; quin et in
fide , et ritibus externis : at tetri intus sunt à pec-
catis , obsuntque utentibus eorum consuetudine ,
Deoque nauseam provocant . Prius seminatur triti-
cum , postea zizania : quia boni prius fuerunt , quam
mali , tum angeli , tum homines . Et nunc quos Chris-
tus regeneravit , inter eos mali à diabolo superdu-
cuntur , imò ex tritico conatur facere zizania ; ex
filiis Dei , filios diaboli . Et facit id , dormientibus
hominibus ; incuriis , et negligentibus suam salu-
tem . Ubi *superseminavit .. abiiit* ; ut qui , jacto in
alium lapide , abiiit , et subducit se , nolens videri
auctor . Idque est tantò perniciosius , quòd *transf-
gurat se in angelum lucis* ; ut ex Deo videatur semen ,
nam ab initio non apparet tritico absimile . Sic mali
homines , semen diaboli , bonis se initio accommo-
dant , eademque simulant studia : videlicet induunt
vestimenta ovium . Abiiit etiam diabolus ; quia desistit
à tentando , ut post intervallum invadat incautos pe-
riculosius .*

Rom. 8
17.

Zizania
mali ou-
nes.

Math. 13.
25.

Dæmon
venit dor-
mientibus
hominibus.
2 Cor. 11.
14.

PUNCTUM II.

Servi dicunt Patri-familiâs , *nonne bonum semen se-
minasti in agro tuo ? Undè ergo habet zizania ?* Post se-
mentem Evangelii à Christo factam , ac post abun-
Admira-
tio de zi-
zaniis.
Math. 13.
27.

dantiam gratiæ in omnes effusam, qui zelum habent Dei, mirantes dicunt: Undè tantum scandalum in agro dominico; et inter eos ipsos, qui sal et lux esse debuerunt, et inter illos, qui perfectionem profitentur? Dicam etiam ego, et intra me: Undè tot imperfectiones, et peccata, quæ suffocant spiritum? Respondet Dominus: *Inimicus homo hoc fecit.*

Matt. 13. Deus intentator malorum est: diabolus autem tentator per excellentiam dicitur, et Satan, sive adversarius.

Jac. 1. 13. Cujus semen et filii sunt, qui ejus desideria perficiunt: nam qui facit peccatum, ex diabolo est. Sed et homo ipse peccator intelligi potest nomine inimici, qui animam suam perdit, propriâ voluntate. Ergò et homo, sibi ipsi inimicus, hoc facit. In altero etiam sensu accipi potest superior interrogatio: Cùm tuus, Domine, sit ager et ipse seminaveris, quare sinis superseminari zizania? Ad hunc sensum non respondet Christus Dominus, quia non oportet scrutari arcana divinæ Providentiæ. Illud est certum, et sufficit: absque magnâ et justâ ratione id non permittere; indèque multa bona elicere in salutem electorum.

Cur sinit zizania Deus crescere.

PUNCTUM III.

Matt. 13. 28. Hic est justorum zelus, qui potest esse intempestivus ex quatuor causis. 1. Si omnia simul velint eradicare, sive ex Ecclesiâ, sive ex congregatione religiosâ, sive ex se ipsis: quod nequit fieri ordinariâ lege.

lege. 2. Si ante tempus; quia malus sustentatus, fortè fiet triticum; et nimium conando, fortè perdes sanitatem. 3. Si, cum periculo eradicandi triticum, seu emendes malos, seu punias eosdem cum damno bonorum: quod accidit in bellis suscipiendis. 4. Si spiritu vindictæ; ut cùm apostoli petebant ignem mitti in Samaritanos, quòd non reciperent Christum. Respondit Dominus servis: *Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.* Considera caritatem erga hominem. Nam angelos peccantes, quasi zizania statim extirpavit, ignique tradidit: homines autem sustinuit, dum in triticum, si vellent, verterentur. Parcit etiam zizaniis propter bonos; sicut cùm paratus fuit Sodomitis parcere, si vel decem reperirentur in eis justi. Quod magno solatio est bonis; et spem facit, quòd eis non oberrit inter malos conversari, et versari. Nihilominus quando, absque damno tritici, possunt zizania extirpari, Dominus id nequaquam vetat.

PUNCTUM IV.

Significat Dominus tempus collectionis: *Sinite*, inquit, *utraq; crescere usque ad messem.* Quo monemur, semper, in hac vitâ, futuros malos bonis permixtos; et quantumvis semper seminet diabolus zizania, nunquam defuturum triticum. Putabat Elias se relictum solum cultorem Dei, cùm audiit à Domino: *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Deindè,

Utrique simul utrumque crescit, et lolium, et triticum; juxta
crescent.
Apoc. 22. illud: *Qui sordidus est, sordescat adhuc, et qui justus*
11. *est, justificetur adhuc.* Sed triticum, ex Dei voluntate, et per ejus gratiam; zizania autem, ex permissione illius tantum. Messis tempus erit duplex; et particulare, in morte cujusque; et universale, post resurrectionem: quando angeli colligent de regno
Judicium gen-rale.
Matth. 13. *ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem*
41. 42. *mittent in caminum ignis. Colligent autem ea in fasciculos ad comburendum: ut ejusdem culpæ socios similiter cruciandos tradant; et quemadmodum fasciculi se mutuò accendunt, ita infelices illi sibi mutuò sint ad tormentum. Et ibi erit stetit et stridor dentium; dum præ rabie invicem excandescent, et in eos potissimum qui sibi damnationis occasio extiterunt. Triticum autem, inquit, congregate in horreum meum. Tunc justi fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum.*

MEDITATIO XLVI.

De Grano Sinapis. Matth. 13.

PUNCTUM I.

Matth. 13. GRANUM Sinapis refert. 1. Christum. Nam est
32.
sinapis. Granum minimum, nec specie, nec odore æstimabile; intus
Christus. tamen efficax et calefactivum, præsertim si teratur.
Ps. 21. 7. Ita Christus de se: *Ego sum vermis et non homo.* At
Coloss. 2. intus, secundum animam: In eo erant omnes thesauri
9.

sapientiæ et scientiæ Dei; quin inhabitabat in eo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Qui atritus in cruce vim suam exeruit, ut inflammaret omnes, et traheret omnia ad se. In Eucharistiâ est etiam minimus, quando in grani minimâ particulâ totus est: et manducatus accendit, et condit quamvis insulsa et ingrata. 2. Deinde refert justos, foris despectos, intus à caritate ferventes; qui persecutionibus vexati, virtutem suam produnt exemplo Christi. Hinc Ecclesia dicitur *Nigra, sed Formosa.* 3. Refert etiam eas virtutes, quibus regnum Cælorum acquiritur: quarum prima est fides in Christum, mundo despecta. Nam credere in Christum crucifixum, *Judeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia habetur: Ipsis autem vocatis, Judæis, atque græcis est Dei virtus et sapientia.* Pariter octo illæ beatitudines à Christo pronuntiatæ, judicio mundi minimè sunt tales; sed potiùs miseræ maximæ: at intus degustatæ deprehenduntur omninò tales. Denique *stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma... ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia... et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.*

PUNCTUM II.

Quomodo granum hoc terræ mandatum germinet in arborem præ omnibus oleribus, ut ex uno plurima grana existant: ita Christus in terrâ mortificatus, evasit in caput hominum et angelorum, sortitusque est

Phil. 2. 9. nomen super omne nomen; et impletum est illud: *In die illâ erit germen Domini in magnificentiâ et gloriâ,*
Isa. 4. 2. et fructus terræ sublimis. Eodem modo apostoli evaserunt in magnas arbores, per multas tribulationes, sicut prædixerat eis Christus: factique sunt tot fidelium patres. Similiter martyres, et confessores: atque ego ipse potero. Idem accommodari potest ad ipsas virtutes. Nam fides crescit usque ad contemplationem Dei; spes, usque ad prægustationem cœlestium; caritas, usque ad unionem cum Deo perfectam; obedientia, sic ut Dei exequatur voluntatem, tanquàm in Cœlo; fiducia, ut montes transferat.

PUNCTUM III.

Matt. 13. 32. Quòd volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus. Christi quasi rami sunt, ejus prædicatio, consilia evangelica, sacramenta, exempla actionum, miracula, et vitæ ejus mysteria. In his ramis habitant, non magnæ et rapaces aves, typus servorum; sed parvæ, hoc est, humiles animæ, per contemplationem illuc evolantes: qualis erat, quæ dicebat: *Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi,*
Cant. 2. 3. et fructus ejus dulcis gutturi meo: *Quis dubit mihi pennas... et volabo, et requiescam?* Deindè, et sancti viri, tanquàm arbores, expanderunt ramos suos, prædicando, scribendo, vivendo; quos intuendo et imitando, proficere debemus.

MEDITATIO XLVII.

De Negotiatore Margaritarum. Matt. 13.

PUNCTUM I.

QUOD studia negotiantium sint varia pro diversitate rerum quas quærunt. Alii enim bona temporalia, alii scientias, alii politicas virtutes, tanquàm margaritas, venantur. Christianus autem quærere debet Christum, et, quæ nos cum illo jungunt, virtutes. *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.* Ps. 23. 6.

PUNCTUM II.

Quomodò quærere oportet? Primò, incessanter petendo à Deo: *Petite, et dabitur vobis:* Deindè, *Matt. 7. 7.* studiosè meditando circa illa, ubi invenitur Christus: Denique insistendo illis medijs quæ inspirantur à Deo, et alioqui sunt idonea.

PUNCTUM III.

Bonus negotiator, *inventâ unâ pretiosâ margaritâ,* Una et pretiosa vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. *Una et pretiosa* dicitur. Hæc est Christus; Deus homo; non plures, sed unus: vel etiam caritas, *quod est vinculum perfectionis,* in quo omnes vincuntur virtutes, et quæ nos unum facit cum Deo, et proximo, ut sit *cor unum, et anima una.* Dicitur inter concilia mar- *Act. 4. 32.*

garitarum esse unum quasi dux, quo capto, facile reliqua capiuntur. Hæc est caritas: invenitur, cum planè penetratur illius excellentia; et cognita rapit ad se cor, ut parùm judicet, pro illà dare

Can. 8. 7. omnia; juxta illud: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Examen. Inspice, quam margaritam quæras: an hanc pretiosam, an potiùs terrenam aliquam: deindè, quàm seriò quæras: denique quid, pro habendà, dare velis; quanti eam æstimes.

PUNCTUM IV.

Religiosa perfectio Margarita. Quòd hæc margarita pretiosa sit etiam perfectio religiosa, ad Christi imitationem: quæ una est, eminenter continens dilectionem duplicem, Jesu, et proximi; quasi lumen duplex oculorùm; de quibus ad sponsam dicit Dominus: *Vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum. Unum dicit, cum sint duo: quia ut unus agunt, et quò unus vergit, etiam alter. Tales sunt actiones religiosorum, ex Dei et proximi caritate. Magni fiunt duæ margaritæ similes et pro inauribus appendi solent ad ornatum. Ita religiosam vitam ornant dilectio Dei, et proximi. Si intelligerent homines pretium ejus, omnes vellent sua dividere, pro eà comparandà. O intelligam ego! ô studeam copulare in unum, et duobus, quasi uno oculo, videre Deum et proximum!*

MEDITATIO XLVIII.

De Ove perditâ. Luc. 15. Matth. 18.

PUNCTUM I.

HOMO, qui habet oves, est Christus, qui propter illas descendit de Cælo, et mirabiliter eas gubernat. Novit singulas *nominatim*, suo caractere signat; ante eas vadit, præcedens exemplo; curat à scabie peccati, defendit à lupis infernalibus; pascua præbet pingua, doctrinæ, et sacramentorum: imò seipsum illis in cibum dat. O sic me gubernâ, et pasce! *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Centum oves sunt generatim fideles; sed peculiariter electi, quos in numerato habet Deus: et scit, qui sunt ejus. Hi *voce* ejus *audiunt*, obediens ejus præceptis; noverunt ipsum per fidem et contemplationem, sequuntur imitatione, gaudent illius pascuis; reddunt ei suam lanam, externa bona; lac etiam interiorum affectuum; et delicias à se abdicant propter ipsum; fœtus item bonorum operum, et carnem denique propriam, si opus sit mori illius causâ, ut vicem reddant: *Dilectus meus mihi, et ego illi.*

Ovis periens est peccator, ex cœtu justorum, et obedientiâ pastoris, proprio suo arbitrio discedens. Nempè non intelligit, nec æstimat bona quæ sub illo habet; grave illi est audire voce ejus;

dura reputat mandata illius, et difficile sequi euntem per vias asperas crucis, et mortificationis; retinet sibi lanam, lac, et fœtus, omnia in suum referens commodum. O quot sic errant usque ad præcipitium inferni! *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.*

Isa. 53. 6.

Caritas
Christi
quæren-
tis.

Pastor bonus errantem quærit Ovem, totum genus humanum. Ideò in carne venit, triennium prædicavit, et tandem mortem subiit. Et cum propter omnes ea perfecit, studio tamen peculiari, per se ipsum quæsivit eas, quæ tunc aberrabant; et nunc etiam quærit omnes per suos ministros, et oblata remedia, ac internas inspirationes. Et cum nihil suâ intersit, si pereant, quia nec lanâ earum vestiri, nec nutrirî lacte, nec fœtu ditescere opus habet; referre tamen suâ ait: *Et illas oportet me adducere.*

Joan. 10.
16.

PUNCTUM II.

Matt. 18.
18.

Quid agit, cum invenerit? Matthæus ait: Si contigerit, ut inveniat eam: quo significatur, ipsas oves subducere sese, et occultare, ne inveniantur.

Psal. 118.
176.

O Domine, *erravi sicut ovis quæ periit: quære servum tuum; ne desistas quantumvis ego fugiam, et me abscondam, sicut Adam; et tergiversari velim, sicut Caim.* Inventam ovem non percutit baculo, non raptat, non tundit calce; sed lætus in humeros suos attollit. Docet, benignè excipiendos peccatores. In

Christus
perditam
reducit.1 Pet. 2.
24.

humeros imponit, quia *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo; et quia suâ gratiâ facit eis suave iter*

salutis. Quidni ego vicissim: Tollam jugum ejus, Matth. 11. 30. quod suave est, et onus ejus, quod est leve? Quin instituit publicam gratulationem: *Convocat amicos et vicinos, angelos et justos; dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.* Luc. 15. 6.

PUNCTUM III.

Epiphonema. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in Cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.* Quemadmodum si pater aliquis habeat plures filios sibi carissimos, ac ex eis unus ad mortem infirmetur, et præter spem convalescat; extraordinarium gaudium concipit ipse, et familia tota, quale non ex reliquis sanis: ita in hoc discam gaudere et gratulari de salute peccatorum, et non ut pharisæus murmurare. Ac si aliquando aberrem, vel ideò redire studeam, ut Deum et angelos lætificem: contrà, averser peccatum, ne contristem.

Gaudium
de conver-
sione.Luc. 15.
7.

MEDITATIO XLIX.

De Filio prodigo. Luc. 15.

PUNCTUM I.

DUO genera filiorum. Bonus est major natu, quia virtus antiquior vitio est, et confert senilem maturitatem, et prudentiam. Malus autem est junior, ab imprudentiâ et levitate animi: quam ostendit, pe-

Boni et
maii filii.

tendo à patre portionem suam, quasi Deus quidpiam alicui debeat; et præsumens, quòd possit per se eam gubernare. Adverte, quomodò Deus hominibus talenta distribuatur naturalia, nec non etiam supernaturalia dona, ut utantur pro libertate: *Deus enim ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui*; ita tamen, ut bonum usum suggerat, et auxilium præbeat. Disce benè agi cum eo, qui in domo Patris cœlestis amat manere sub ejus gubernatione, nec præsumit seipsum regere, ut iste prodigus, qui in regionem longinquam abiit; elongatus à Deo per peccatum, et oblivionem sui creatoris, jacturamque faciens omnium acceptorum, dum inhæret creaturis: undè fit ut superbus degeneret in luxuriæ sordes. Cogitabo me ejusmodi fuisse, qui me subtraxerim à Patre, et mille peccatis per hoc involverim.

PUNCTUM II.

Fames. Miseriæ recedentis à Patre. 1. Fames, non panis, sed cibi spiritualis, in regione illà longinquà: non usus sacramentorum, non exhortatio, aut lectio pia, non exempla virtutum, non internæ à Deo consolationes. 2. Adhæret uni civium; diabolo, qui ad indigna servilia servientem abjicit. 3. Pascit porcos; in id tantum intentus, ut sensuales cupiditates expleat. Vel ipsos etiam dæmones pascit; qui turpitudinibus hominis, quasi cibus, oblectantur. 4. Neque miser satiatur; quia est hic cibus bestiarum,

Eccel. 15.
14.
Libertas
hominis.

Servitus
Pascere
dæmo-
nem.

Insatiabilis
voluptas.

non hominis. Misericordiæ divinæ est affligere peccantes, ut respiciant; sicut iste, doctus malis: *Se-piam*, inquit, *viam tuam spinis*. Contrà, est periculosa prosperitas peccatori: *Misereamur impio, ait Dominus, et non discet justitiam. Et quiescet indignatio in te, et auferetur zelus meus à te, et quiescam, nec irascar amplius.*

PUNCTUM III.

Resipiscit prodigus. Initium conversionis, reflectere super statum suum: *In se autem reversus*; præventus gratiâ; quæ etiam peccatores non deserit. *Redite, peccatores, ad cor. Et audite, duri corde, qui longè estis à justitiâ. Propè feci justitiam meam: non elongabitur, et salus mea non morabitur: tantum velitis. Deindè promovet illud conversionem, si suum peccator statum cum statu justorum conferat, etiam minus perfectorum: *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo. Atque id tantò efficacius fit, si ipse ex illis aliquando fuit: *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis, quàm nunc. Et: Convertimini et videbitis, quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo, et non servientem ei. Præterè ex his sequitur propositum firmum et efficax, nixum agnitioni sui, et fiduciæ in Deum: *Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater... jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Tandem festinato opus est ad exequendum****

Osee 2. 6.
Isa. 26.
10.
Ezech. 16.
42.

Gratia
præve-
niens.
Luc. 15.
17.
Isa. 46. 8.
12.

Adjuvans.
Luc. 15.
17.

Os. 2. 7.
Mal. 3.
18.

Propo-
situm effi-
cax.

Luc. 15.
18 et 19.